

§. 1. Annuente nihilominus clementer Sua Sacra Regia Majestate, decernitur; ut quaevis Causae ex Tabula Banali, in quibus eadem primae Instantiae Judicem est actura, ad Viginti usque Millia florenorum extra Dominium ad Curiam Regiam transmittantur: Quare in hoc Articulus praecitatus 31. An. 1729. modificatur.

*Ut Modus Insurrectionis et Exercitationis, pro Tenore Articuli 66. An. 1681. in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae ultro observetur.*

Articulus 59.

Admittit clementer Sua Sacra Regia Majestas, ut Modus Insurrectionis et Exercitationis praefatorum Regnorum pro ratione necessitatis, juxta Articulum 66. An. 1681. ultro et imposterum observetur; quemadmodum et observandus statuitur.

*De Campi Turopolia et unius Sessionis Nobilibus.*

Articulus 60.

Circa Nobiles Campi Turopolia et alios unius Sessionis, Articulis 92. An. 1723. Intuitu vero Appellationis Causarum ex dicto Campo; Articuli 106. An. 1659. confirmantur.

*Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Filii Nativi, sub Denominatione Hungarorum complectuntur.*

Articulus 61.

Accedente benigna Sacrae Regiae Majestatis Resolutione, communi Statuum et Ordinum Voto, ultro compertum et statutum est; ut praefatorum Regnorum Regno Hungariae annexorum Filii Nativi sub Denominatione Hungarorum, quoad Officia et Beneficia Ecclesiastica et Secularia etiam comprehensi intelligantur.

*De Libera Panni pro Confiniario Regni Croatiae et Sclavoniae Milite, in Regnum Inductione.*

Articulus 62.

Panni pro solutione Confinariae Regni Militiae, eo modo, uti antea quoque usitatum fuit, penes solitas duntaxat Passuales, sine omni Tricesimae et aliarum Pensionum Solutione (clementer annuente Sua Sacra Regia Majestate) Libera imposterum sine ullo Impedimento in Regnum admittitur Inductio.